



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

III. S. Henrici in Religionis cultu amplificando, inq[ue] Ecclesiis  
instaurandis, locupletandis & ornandis indefessum studium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

S. Henrici in Religionis cultu amplificando,  
inq. Ecclesiis instaurandis, locupletandis  
& ornandis indefessum  
studium.



Natus igitur in Regem beatissimus Dei famulus, temporalis regni non contentus angustiis, pro adipiscenda immortalitatis corona, summo Regi ( cui seruire regnare est, ) militare disposuit, summam etiam diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit: Ecclesias ditare possessionibus & immensis ornatibus augere cœpit. Sedes autem Episcopales, Hildensheim ( vbi à puero nutritus & literas edoctus fuit ) Magdeburch, Argentinam, Misenam, & Merseburch ( quæ barbarica immanitate adiacentium Sclauorum vastatæ fuerant ) restaurauit. Et tam ipsis, quàm aliis Episcopatibus per vniuersum regnum, in possessionibus & ornatibus, innumerabilia contulit. Hildensheimensibus verò sanctum Gotehardum diuina edoctus reuelatione præfecit.

*Reparat S. Henricus Sedes Episcopales à Sclauis vastatas.*

*S. Gotehardus.*

Quid autem Merseburgensi Ecclesiæ præ aliis specialius contulerit: futurorum charitati volumus ex parte notificare. Hæc enim Ecclesia tempore Magni Ottonis, illius, inquam, qui ad Lycum fluium sub Sancto Vdalrico confessore Vngaros prostrauit, & Reges eorum, Lælium videlicet & Assur Ratisbonæ, Principibus hoc fieri adiudicantibus, in patibulo suspendit: assiduus incursionibus & hostili vastatione Sclauorum, ad nihilum redacta est. Et quia violentiis vicinarum nationum non poterat resistere: in possessionibus in religione & in omnibus quæ ad Pontificalem dignitatem pertinebant penitus cœpit deficere. Accidit autem, vt eodem tempore Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus viam vniuersæ carnis ingrederetur, & Merseburgensis præsul propter sapientiam à Deo sibi collatam, & propter multas virtutes, quibus adornatus

*Vastatio Ecclesiæ Merseburgensis.*

erat,

TV949

erat, ob quas etiam Othoni Magno gratissimus exitit: in cathedram Magdeburgensem, prædicto Rege id efficiente, præponeretur. Factum est autem, ut Merseburgensis Episcopatus penitus destrueretur, & quæ potiora erant illius Ecclesiæ, in prædiis, in ministerialibus, in ornamentis, in ditionem Magdeburgensis Ecclesiæ transferrentur, & de quibusdam reliquiis possessionum, quæ Merseburg remanserant, Abbatia inibi construeretur. Quod factum vsque ad tempus pii Confessoris Henrici immutatum permansit. Cùm autem conuocatis idem Rex Principibus Regni sui Quendelburg curiam celebrasset: vniuersis in id ipsum consentientibus, Poloniam & Boëmiam, cæterasq; Sclauorum adiacentes regiones, quæ fines regni sui vastabant, debellare disposuit.

*Bona Ecclesia  
Merseburgensis  
Magdeburgum  
translata.*

## CAPVT I V.

*Expeditio S. Henrici contra Sclauos. Votum  
eius. Pietas exercitus, calites in acie visi.  
Victoria insignis. Gratia-  
rum actio.*

**C**ongregato itaq; exercitu, contra prædictas nationes aciem direxit. Et faciens transitum per locum, qui *Walbech* dicitur, gladium sancti Adriani Martyris, qui pro reliquiis multo tempore ibi seruabatur, accepit. Quo accinctus, ex toto corde suo clamauit & dixit: *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Inde progressus castra metatus est in campo, vbi Merseburgensis Ecclesia sita est, & videns locum desolatam, & in nihilum redactam, ingemuit & ait. *Beate Laurenti Martyr Christi, si tuo interuentu has barbaras nationes ad quas pergo, Romano Imperio, & Christianæ religioni subiugauero, hunc locum desolatam tuo nomini consecratum: diuina fauente gratia, in pristina dignitatis statum reformabo.*

*Imp cingit se  
gladio Sancti  
Adriani.*

*Psalm. 34.*

*Voto obstringit  
se reparandis  
Ecclesiæ Mer-  
seburgensem.*

B

Vt verò